

Cap. 78.

A V G V S T I N V S

que esse, qui etiam ante hunc conditus sit à Deo. Quæ sententia huic, quem nunc exponimus, errori, magnum firmamentum videtur attulisse, & tamen falsa est. In principio enim creavit Deus cælum & terram, nec antea ullus mundus erat vel visibilis vel inuisibilis. Nec tunc Deus mundos plures condidit, sed hunc tantum conspicuum, quem incolimus, cuiusque nobis Genes. cap. I. origo explicatur. Et rectè Patres argumentantur unum esse mundum, quia unus est Deus. Est enim opus Dei mundus. Neque vero prætermissa erat Scriptura, si plures essent mundi, ne alium præter unum & verum Deum, eorum conditorem existimaremus: aut ne Deum ipsum tanti opificii laude priuaremus. De quo in prima Physicæ nostræ Christianæ parte, quæ tamen nondum edita est, abundè diximus. Quod autem ad hanc hæresin attinet, neque illius originem, neque durationem, neque sedem usquam legimus. Huius tamen breuissimè quidem meminit Isidorus, & fuit minuta hæresis, quæ magnos autores aut patronos diuturnaque ætatem habuisse minimè mihi videtur, eamque ad Basilidianos refero.

C A P . L X X V I I I .

Tertullii & eorum error quis fuerit.



Lia sceleratorum animas¹ conuerti in demonas dicit, & in queque animalia suis meritis congrua.

I. *Animas conuerti.*) Neque hic, neque apud Isidorum nominatur hæc hæresis, tamen in indice huic operi præfixo vocantur hi Tertullii, quam nos